



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XIX. Ordo Siluestrinorum, per B. Siluestrum Grosolinum fundatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

Martyrologium Rom. X. Februarij.

Pars item reliquiarum S. Guilielmi videtur Antuerpiæ in Domo Professa Soc. Iesu argenteæ thecæ inclusa.

Porro S. Guilielmum in numerum Sanctorum anno CIO. CC. II. retulit Gregorius IX. Pont. Maximus.

CAPVT XIX.

Ordo Siluestrinorum, per Beatum Siluestrum Grosolinum fundatus.

ORDO Siluestrinorum sub regula sancti Benedicti, institutus est à B. Siluestro qui fuit monachus Vallis Umbrosæ. Initium habuit anno Domini 1232. & confirmatus est ab Innocentio IV. anno 1258. Olim hic ordo dicitur fuisse subiectus ordini Vallis Umbrosæ: nunc gubernatur cura vnius generalis Præpositi, qui olim solet esse perpetuus, sed nunc triennalis est. Viget hic ordo potissimum in Marca Anconitana, Umbria & Tuscia. dicitur habere monasteria 25. in quibus habitant monachi circiter trecenti. Ita tradit Azores in suis Institutionibus Moralibus.

Ordo initium sumpsit in Monte Fano tertio lapide ab vrbe Roma; si modò nouus Ordo dicendus sit, & non potiùs Congregatio

tio reformata, sub instituto Vallis Umbro-
fæ.

CAPVT XX.

*Ordo Cælestinorum à S. Petro Cælestino
institutus.*

Petrus cognomento Moronensis (sic à
Morono monte, in quo vitam asperam
duxit, appellatus) patria AEserninus vitam
anachoreticam in summa austeritate apud
Sulmonem ducens, fama que sanctitatis ful-
gens, cum ordinem Cælestinorum instituis-
set à Gregorio X. approbatum, absens Peru-
siæ à Cardinalibus, operâ Caroli Regis Nea-
politani, & Latini Cardinalis, Pontifex post
Nicolaum IV. anno salutis millesimo du-
centesimo nonagesimo quarto eligitur, ac
Cælestinus V. appellatur. Qui Aquilæ maxi-
mò hominum concursu (200. siquidem mil-
lia Aquilam, vt eremitam Pontificem factum
cernerent, tradunt conuenisse) consecratus,
duodecim Cardinales creauit, vitamque pri-
stinam quò ad vigilias, ieiunia & orationes
retinebat, Latini Cardinalis præcipuè opera
in administrando Pontificatu vsus. Erat au-
tem in omnes ita humanus, benignus & faci-
lis, vt mortuo Latino, à nonnullis Cardina-
libus, maximè verò à Benedicto Caietano, vt
se illo abdicaret, ne Ecclesia sui caussa detri-
mentum

K

mentum